3

PROPOSITIONES THEOLOGICAE

QVAS

Publice propugnandas exhibet

D. IOHANNES CHRYSOSTOMVS DONDINIVS
CENTENSIS

CANONICVS CONGR. RHENANAE SS. SALVATORIS

Facta cuilibet Professori post tertium
contradicendi facultate

ACCEDVNT ADNOTATIONES
QVIBVSDAM PROPOSITIONIBVS ILLVSTRANDIS
ACCOMMODATAE.

...CTECA NAZ. ... MA ... EMANUELE

ROMAE
TYPIS LAZZARINIIS
MDCCXCI.

PRAESIDVM FACVLTATE

3

Digitized by Google

KAROLO . ANTONIO . DONDINIO . GHISELLIO

SENATORI . BONONIENSI

VIRTVTVM . SPLENDORE

SPECTATISSIMO

PATRIFAMILIAS . RARISSIMI . EXEMPLI

PRAECLARIS . E . RE . PATRIA . FVNCTO . MVNERIB

OMNIBVS . ORDINIBVS . CARISSIMO

D. IOHANNES. CHRYSOSTOMVS. DONDINIVS. CENTENSIS

CANONICVS . CONGR. RHENANAE . SS. SALVATORIS

SE . SVAMQVE - DISPVTATIONEM

GENTILI . ET . FAVTORI . SVO . AMANTISSIMO

L. D

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Haec et mea fides eſt, quando haec eſt Catholica fides. S. Auguſt. lib. I. de Trinitate cap. IV. n. 7.

PROPOSITIONUM THEOLOGICARUM INDEX.

DE DEO UNO.

I. PRincipio Dei exsistentiam contra Atheos demonstramus. (*adnotat.* I.)

II. In plurium Deorum cultum nec ætates omnes, nec omnes aetatum omnium Nationes consensere.

III. Duo illi Manichaeorum collaterales dissidentesque Dii fabulam offerunt a sapiente Homine plane contemnendam.

IV. Deus Spiritus est a quavis corporea concretione immunis.

V. Justorum animae nulla peccati macula contaminatae, simulatque corporeis liberantur vinculis, in coelum migrant, ibique clara Dei visione perfruuntur:

VI. Id, quod publicae Ecclesiae preces non extenuant, sed luculenter demonstrant, ac propemodum clamant.

VII. Sancti veteris Testamenti usque ad Christum passum non modo a coelestibus sedibus exularunt, sed ipso quoque Divinae naturae adspectu caruerunt.

VIII. Porro Deus est perfectione infinitus.

IX. Æternus quoque est, aeternusque solus.

X. Quo de argumento quamquam subtiliter nonnulla, quae non ita dilucide, disputarit in Cosmopoeja Steuchus noster Eugubinus, non tamen in Palamitarum errorem ivit: quare, nisi domesticarum rerum quidam nos amor fallit, minus aequa vide-

tur nobis censura, qua magnus Petavius magnum hunc virum pungit (*adnotat.* II.)

DE DEO TRINO.

I. PLures in uno Deo personas esse e veteri Testamento colligimus.

II. Trinitatis mysterium ante legem Evangelicam Patriarchis, Prophetis, aliisque sanctitate, et peritia legum conspicuis Viris perspectum fuit.

III. In novo Testamento arcanum istud divinum signis patefactum est, sententiisque splendidissimis.

IV. Versus VII. Capitis V. epistolae primae S. Johannis sincerus est. (*adnotat.* III.)

V. Antenicoena traditio Patrum illibate mysterium istud custodivit: quod quum demonstramus, feliciter e Socinianorum manibus eripimus antiqua illa Ecclesiae lumina, ac maxime Justinum (*adnot.* IV.) Irenaeum, et Gregorium Thaumaturgum (*adnotat.* V.)

VI. Nicoeni Patres recte, sapienterque usi sunt voce *τοῦ ὁμοουσίου*.

VII. Sententia, quae ponit, nullam Sirmiensem formulam fuisse unquam Liberii Pontificis subscriptione munitam, multo nobis est probatissima (*adnot.* VI.)

VIII. Spiritus Sanctus tertia est Persona Trinitatis a Patre, Filioque procedens.

IX. Pudeat vero Graecos Schismaticos, qui maledictorum aculeis in latinam Ecclesiam armati, de voce *Filioque* symbolo Constantinopolitano inserta nullum faciunt lamentandi modum; jure namque ea vox symbolo accessit.

X. At quo plane tempore universa Occidentalis Ecclesia accessionem illam stabiliverit, difficile explicatu est. Certe neque Manuel Calecas, neque cum Andrea Colossensi Bellarminus, neque Julianus Cardinalis, neque Ludovicus Maimburgius hac de re satis recte judicarunt: ipsaque Petri Pithoei plurimis accepta sententia difficultate non vacat.

DE DEO CREATORE.

I. OMnia, quae universi ambitu continentur, summus rerum parens Deus O. M. e nihilo creavit.

II. Ex omnibus Dei operibus duo sunt praestantissima, Angelus, & Homo.

III. Michaelem, et Gabrielem coelestis militiae Principes non esse creatos spiritus; sed illum eumdem esse Dei Filium, alterum ipsam Spiritus Sancti personam; Coccejus, Witsius, Odeus, Hulsius, Turretinus, Freidlibius, Cloppenburgius ex Heterodoxorum gente affirmarunt: in quo per malitiam fabricarunt novitatem ab Ecclesiae sensu alienissimam.

IV. Peccavit Lucifer, quod ut Deus esse concupiverit.

V. Infernus ignis, in quem Daemones ceciderunt, metaphoricus non est, sed vere corporeus. (*adnotat.* VII.)

VI. Perpetuus est etiam ille ignis aeternusque: in quo nullum redemptionis levamen persentitur. (*adnotat.* VIII.)

VII. De Angelorum antiquitate non una Patrum, Doctorumque sententia est. Placet ea nobis, quae negat Angelos ante adspectabilem hunc mundum conditos.

VIII. Eorum refugimus audaciam, qui celebrem S. Augustini de creatione mundi sententiam ita dispungunt, ut plane improbabilem dicant, erroneam, omnium Patrum doctrinae contrariam; et vix, quia tali patrono gaudet, non uti haereticam a Sancta Ecclesia proscriptam.

IX. Nihilominus mundi opificium per temporum intervalla, sex naturalium dierum curriculo, confectum fuisse existimamus.

X. Deum sexto mundi die multos ubique homines produxisse, unde ortum habuerint Gentiles; diu vero post creasse Adamum primum Judaeorum patrem exstiturum, fabella est sapiente homine indigna; certe enim nulli ante Adamum homines sunt conditi.

DE DEO INCARNATO.

I. VIA ad demonstrandam Incarnationem Verbi Paganis est veritas Christianae religionis: Judaeis exitus vaticiniorum ad Messiam pertinentium.

II. Celebre Jacobi oraculum in Christo adimpletum est.

III. Atque ex omnibus hujus oraculi expositionibus pridem vulgatis, illa nobis commodissima videtur esse, quae sub nomine Juda, universum Judaicae gentis corpus complectitur; maxime uti est cl. Mazochii studiis, conjecturisque illustrata Spicil.Bibl. Tom. I. Diss.VIII. p.I. Sect.4. et 5. (*adnotat.* IX.)

IV. Isaiae vaticinatio de Emmanuele a Virgine concipiendo explicanda est de Virgineo Messiae

conceptu, et partu, contra quam Judaeis, ac nuper Isenbielhsio probatum est. (*adnotat.* X.)

V. Testimonium Josephi Flavii de Jesu Christo genuinum est.

VI. Christus Dominus non phantasticum et umbratile corpus, sed solidum verumque assumpsit.

VII. Quamquam in Christo una persona sit; duae tamen sunt inconfusae naturae, atque impermixtae.

VIII. Fuligine, qua Scriptores quidam Heterodoxi purgare volunt Nestorii faciem, perperam tentant inspergere S. Cyrillum Alexandrinum.

IX. Duplicem quoque voluntatem in Christo Domino cum Sancta Ecclesia profitemur.

X. Honorium I. Rom. Pontif. Monothelitarum factioni naviter obstitisse existimamus, auctoritate adducti S. Maximi Martyris, Stephani Dorensis Episcopi: Pontificum praeterea RR. Johannis IV., S. Martini I., et S. Agathonis (*adnot.*XI.)

DE GRATIA CHRISTI.

I. NOnnulla de C. G. disputaturi, primum, ne erremus, parvulos nos esse, atque humi stratos mortales reminiscimur; deinde Scripturae sanctae, Ecclesiaeque praeceptionibus muniti statuimus: Deum, quaecunque in bonum hominum fecit (fecit autem plurima, quae neque capere animo possumus, nec pro dignitate explicare) ad gratiam ipsis vel parandam, vel elargiendam, tamquam ad caput consiliorum, ac curarum suarum omnium retulisse.

II. Pretium, ac tamquam aurum, quo mittimur

in poſſessionem summae felicitatis , in ea gratia positum est , quae fons dicitur aquae salientis in vitam aeternam .

III. Itaque et sancta Fides , et sancta opera, quibus veluti gradibus ad coelum conscendimus , divino auxilio dante nobis comparantur .

IV. Initium quoque Fidei gratiae dono accipimus.

V. Ergo manifestissime credendum est , Latronis , quem Dominus ad Paradisum vocavit , & Cornelii Centurionis , ad quem Angelus missus est, et Zacchaei , qui ipsum Dominum suscipere meruit , illam tam admirabilem fidem , non e natura , sed e divinae largitatis dono exstitisse .

VI. Pelagianae Haereseos a S. Johanne Chrysostomo nulla sunt jacta semina : imo argumenta , quibus ea praefocaretur , aureus Doctor in suis scriptis reliquit .

VII. Justis Dei mandata servare volentibus , atque conantibus non deest Deus .

VIII. Deus vult omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire ; viae tamen ejus in providentia salvandorum inscrutabili obscuritate adeo sunt septae ; ut verendum sit , ne , quod monebat Augustinus , pro earum illustratoribus inveniamus praesumptores . (*adnot.*XII.)

IX. Justificationem Christianam per fidem sine operibus legis conferri perperam Novatores commenti sunt .

X. Multo vero minus eamdem justificationem confert fiducia , quam Dissidentes excuderunt ad liberandos ab omni asperitate poenitentiae peccatores .

ADNOTATIONES

Nonnullis e superioribus Propositionibus illustrandis accommodatae.

(*Adnot. I*) In delectu argumentorum, quorum insignem copiam ad exsistentiam Dei demonstrandam tot jam Philosophorum, ac Theologorum libri suppeditant, duos nobis canones constituimus: primum, ut fere nihil rationibus fideremus, quae e Philosophorum placitis ac sistemâtis non bene firmis proficiscuntur: alterum, ut ne ad nobilitandum unum aliquod argumentum reliqua deprimeremus: quod l' Herminierii, ac Maupertuisii vitium fuit. Usi vero sumus in universa Theologiae tractatione sapientissimis cl. Cardinalis Gerdilii praeceptionibus, quas in aureo Specimine sparsit Theologicae Institutionis. Hunc librum italice scriptum Romae edidit an. 1776. typis Puccinellianis.

(II) Augustinus Steuchus Canonicus noster, Kisami Episcopus, ac Sanctae Sedis Bibliothecarius anno 1496. natus est Eugubii. Devixit anno 1549. Magno probitatis, ac doctrinae nomine claruit. Plura edidit, quibus sui saeculi verae litteraturae Princeps est habitus. Scripsit nonnulla contra Erasmum: plura contra Lutherum. Acre illi ingenium atque profundum; subtilius tamen nonnulla, atque a Theologorum gustu remotiora scripsit: quo factum est, ut nonnullis interdum displicuerit. Plura qui de Steucho volunt, adeant clarissimum Tiraboschium in Historia Italicae Litteraturae tom. VII. part. I. lib. II. §. XLV. Is enim e vetustis chartis Eugubinis, Trombellii opera, sibi concessis plura refert scitu digna, quibus emendantur errores, in quos Niceronius, et Morandus de Steucho scribentes ceciderunt. Asservantur in Vaticana bibliotheca ineditae quaedam Steuchi Praefationes, longiores eae, eruditione plenae, luceque dignae. Nunc, quod attinet ad Eugubini excusationem superiore propositione injectam, duo docti Viri nominandi sunt, qui pro sano ejusdem sensu scripsere, Johannes Laurentius Bertius Augustinianus, et Johannes Baptista Generius e Societate Jesu: ille lib. II. Theol. cap. v. ante propos. primam; alter tom. II. Theol. Dogmatico-scholasticae pag. 92., et 93., atque etiam alibi.

(III) Facit veritatis amor, ut novum argumentum non dissimulem, quo suspicari quis posset, extenuari nonnihil sententiam nostram. Nempe in nupera SS. Apostolorum Epistolarum editione, quam dedit Christianus Fridericus Matthaejus Rigae, an. 1782. typis Hartknochianis, graeci decem, quos ipse recensuit, Mosquenses codices carent ad unum omnes versu septimo. Ego vero vellem, multo plures alios pares illis laudare Matthae-

jus potuisset; quum hoc, quidquid codicum est, antiquissimum non sit, quod ex ejusdem praefatione apparet, quumque mendosum eo ipso loco, quod voculis *in terra* destituatur; immerito illi codicibus antiquitate majoribus, plane integris, et ad vulnus Mosquensium sanandum aptissimis praeferrentur. Sed libet referre, quod Matthaejus, qua est ingenuitate, fragmentum edidit epistolae sibi ab Eugenio Chersonis et Slabinii, sic vocant, Archiepiscopo datae: quam consule post praefationem Matthaejanam. Sic enim in rem nostram eruditus iste Heterodoxus: „ τὸ περὶ μάχη-
„ τὸν ἐδάφιον *de tribus testibus in coelo* certo sis certior ita me
„ reperisse in codice Bryennii (antiquissimo illo) prout edidi,
„ nunquam alias inserere ausurum, nisi ita reperissem . . . Ce-
„ terum, quod addis, in nullo codice N. T. textum I. Joh.
„ cap. v. 7. de tribus testibus in coelo te reperisse; hoc ego ita
„ accipio, ac si de codicibus velis intelligi Mosquensibus N. T..
„ Et verum id utique, quod vetusta MSS. eo loco frequentissime
„ carent; attamen nec illud te latet, *multa* quoque occurrere,
„ quae locum vel in textu connexum, vel margini adscriptum
„ afferunt, eaque et numero *plurima*, et *vetustate insignia*, ex
„ quibus et editiones optimae N. T. adornatae sunt, veluti Com-
„ plutensis, Roberti Stephani, Frobenii an. 1541., Erasmi 3.
„ an. 1550., et ceterae „. Affert deinde argumenta alia a nostratis proponi solita: maxime vero illud, quod certe invictum est: non sine violentia quadam dictionis, et per soloecismum manifestissimum versum septimum ab eo capite dispungi posse. Apposite haec ille, atque e re nostra; unum tamen ab eo scriptum non fuisse vellem: postremum istud argumentum, quantum sciat ipse, *a nemine hactenus observatum*. Nempe idem, non modo Maranus celebris Benedictinus in lib. de Divin. D. N. J. C. aliique passim Theologi argumentum tractarunt, sed perspicue attigit ipse Gregorius Nazianzenus orat. XXXI. pag. 568. Tom. I. edit. Maurinae 1778. Paris. Hactenus de graecis codicibus pro re nata. Facit nunc idem veritatis amor: addo etiam, fiducia in optimam, quam tuemur, causam, ut nominemus latinum codicem eo versu vacantem. Est ille praenobilis, qui in Cisterciensi monasterio montis Amiatae agri Senensis diu servatus, paullo ante in Laurentianam Florentinam bibliothecam translatus est. Dissertationem italice in eumdem scripsit vir cl. Angelus M. Bandinius, ediditque Venetiis Tom. XVIII. Ferrariensis Opusculorum collectionis, an. 1786.; qua de re me monuit cl. Monsacratius Praesul Generalis Congregationis nostrae, et studiorum fautor praesentissimus. Jam vero quum judicio Angeli Roccae, le Longii, Bandinii, atque aliorum, paucissimos illi pares habeamus, nisi etiam primas inter codices Europae biblicos obtineat; auctori-

tatem propterea non mediocrem videtur idem sententiae oppositae conciliare . Sed nihil minus . Quod ut sentiam, non modo Tridentini Concilii *veterem Vulgatam latinam cum omnibus suis partibus* approbantis auctoritas me movet ; neque dumtaxat vis illa, atque ubertas responsionum , quas nostrates argumento reddunt e codicibus versu vacuis petito : id, quod ipsos etiam Heterodoxos premit ; sed praeterea ratio me illa movet, quod laudatum codicem unum esse intelligo ex iis, quos undequaque conquiri, Romamque perferri Sixtus V. curavit, ut optimam Vulgati textus editionem haberemus. Hujus rei notitia in ea integumenti parte, quae spectat codicem, expressa ita est charactere XVI. saeculo usitato : „ La presente Bibia a dì 12. di Luglio 1587. fu „ portata all' Illustriss. Sig. Cardinale Antonio Caraffa per l'ope„ ra dell' emendazione della Bibia Latina vulgata, per ordine di „ Sua Santità Sisto V. in Roma, e fu restituita alli 19. di Genna„ ro 1590. alli Reverendi P. D. Marcello Vanni, et Don Stefano „ Bizzetti Monaci di Monastero di S. Salvatore in Montamiata. „ Io Arturo de Conti d' Elci „ . Ergo tres annos doctissimorum hominum oculis usurpatus codex est, judicioque acri subjectus. Memoratur in iis Angelus Rocca Augustinianus, vir certe summus, qui nobilitatem codicis apprime novit. Quare si docti illi : si quod caput est, Romanus Pontifex versum septimum, quo carebat codex, retinuerunt ; qua tandem causa fecisse id eos, nisi gravissima judicabimus? gravissima, inquam, eaque multiplici. Nam, ut reliquas mittam : illam prae ceteris orationis nexu tenoreque conclusam, quam non Erasmus, non Simonius nobis eripient unquam ; annon ii codices, qui priscorum Patrum manibus versabantur vel in primis Ecclesiae incunabulis ex autographis descripti, centenos sequiorum saeculorum codices inobscurare possunt? Non numero eos Patres : sunt enim notissimi. Unum dumtaxat Hilarium, quoniam huc deducimur, aliis adjungam, qui vulgô a Theologis laudari solent ; namque is ad eum versum respexit in excellenti quadam Epistola , seu Libello a Canonicis nostris primum Bononiae edito in Anecdotor. tom. II. part. 1. an. 1751.

(IV) Diu torsit Theologorum ingenia celebris Justini locus ex Apologia I. nu. 6., vexatus idem multiplici illorum explicatione. En verba, uti in postrema Justini opp. editione leguntur a Maurinis adornata : „ Sed eum (Patrem), et Filium, qui ab eo ve„ nit, et nos ista docuit, et ceterorum, qui illum assectantur, „ eique assimilati sunt, bonorum Angelorum exercitum, et Spi„ ritum propheticum colimus et adoramus „ : quibus vocibus cultum Justinus, quem Patri, Filioque reddi jubet, Angelorum exercitui videtur attribuere, in quos certe veram ille divinitatem

non contulit : intereaque Spiritum S. post Angelos commemorat. Petavius, Bullus, Grabius, aliique senserunt difficultatem loci. Itaque reliqui fecerunt nihil, quo elucidarent illum, emollirent, vindicarent. Sed omnibus felicius cl. Franciscus Florius Ecclesiae Utinensis Praepositus cubare mendum in textu suspicatus est : detexit; remque doctis facile persuasit. Scilicet non στρατὸν ab Justino graece scriptum vult ille, quae vox *exercitum*; sed στρατηγὸν, quae *ducem exercitus* significat. Namque ad profanos scribentem illum prima voce uti non potuisse : alteram, ad eam, quam agebat, Christianorum causam unice esse accommodatam: ejusdem vero possessionem aliis Justini locis praescribi, confirmarique. Eo factum est, ut is locus eximiam nobis hanc sententiam reddat : „ Adoramus Patrem, et Filium „ Angelorum exercitus ducem, et Spiritum propheticum „. Sed cl. Florii in hanc rem *Divinatio* (sic enim per modestiam appellat ille gravissimum judicium a se datum) tota legenda est. Prodiit Bononiae ann. 1779. ex typograph. S. Thomae Aquinatis.

(V) Praeter ea loca, quae vulgô a Theologis afferri solent; purum ut Sanctum Thaumaturgum ab Ariana labe demonstrent, illustre aliud est in sermone ejusdem in omnes Sanctos a cl. Mingarellio nostro primum edito Bononiae typis Vulpianis an. 1770. „ Nunc vero (secundus Adam) propter hominem homo „ factus, ille, qui hominum amans est ac benignus, eum, qui „ humani generis hostis est ac inhumanus, divinitatis pede per„ cutiens, et manu benignitatis (dignitatisve, qua Christus est) „ hominem portans, pedibus humanis invium aethera calcari „ fecit „; et pauca post verba „ Nunc vero is, qui dicitur ma„ gni consilii Angelus, nec ascendit, nec descendit : unde enim, „ aut quo transmigrare potest ille, qui ubique praesens est? qui „ omnia implet? qui mundi terminos manu tenet? Semel enim „ ascendit, semel item descendit non per naturae mutationem; „ sed per benignae erga humanum genus bonitatis suae *conde„ scensionem* &c. „

(VI) Pluribus doctis eadem haec de Liberio sententia stetit. In his praecipue nominandi sunt Dom. Corgnius Suessionensis Ecclesiae Canonicus in dissert. critica et historica de Papa Liberio gallice edita, et recusa Parisiis an. 1736. (qui liber raro nunc obvius est), Card. Orsius in historia Eccles. tom. VI. lib. xiv.; Franc. Ant. Zaccaria in dissert. de commentitio Liberii lapsu addita Appendici tom. II. de Theol. dogmat. Dionysii Petavii ed. Venet. 1757. ac postremo dissert. vii. tom. I. de rebus ad histor., et antiqu. Eccles. pertinentibus; Ioh. Stiltingius in actis SS. tom. VI. mensis Septembris ad diem 23.; Petrus Ughus e congr. D. Paulli in Theologicar. instit. Bononiae editarum tom. I. (sive singulari : neque

enim, et dolendum est, reliquos edidit vir aeri certe judicio, et non vulgari eruditione ornatus, quem amicitiae gratia libens memoro); Anonymus Augustinianus in supplemento Buziano de Theol. disciplinis ed. Neap. 1773.; Josaphat Massarius congr. Matris Dei in dissert. historico-critica Romae 1778.; ac tandem Paul. Anton. Pauli ejusdem congr. in dissert. de S·Felice P.,et M. italico idiomate vulgata Romae an. 1790., qui, etsi obiter, scite tamen hac de re scripsit. Lectu digna est conjectura, quam affert ipse, roganti ut satisfaciat: quare Liberiani lapsus opinio tam late percrebuerit, inque hominum animis tam altas radices egerit? Cui quidem sic roganti, non modo eruditiss. P. Pauli responsum, sed et aliud volo redditum: quale scilicet? illud, quod mihi dabitur petenti: quare Isidorianae epistolae apud majores nostros sincerae Pontificum vulgô sint habitae: aut quare Marcellinum Papam falso numini thurificasse, ad medium usque XVII. saeculum fuerit communi sententia judicatum? Etenim hunc cunctis suffragiis tamquam calumniam passum nunc absolvimus: illas vero nothas esse, notum jam pridem est.

(VII) Estne fidei dogma istud,quod tradimus? quaerere sic quispiam posset. Sunt docti Theologi, quorum libri omnium manibus tractantur, qui id negant. Ego vero quamquam nolo palam doctis hisce viris repugnare; dissimulare tamen non possum, videri magni nominis Patres multo aliter judicasse. Consulantur Hieronymus in epistola ad Avitum, Orosius in commonitorio ad Augustinum, Fulgentius libro de Fide ad Petrum capite XLIII., et XLIV., Prudentius Tricassinus noni saeculi scriptor libro contra Johannem Scotum Erigenam cap. XVII. et XIX. Neque illud praetereundum: in veritatem, quam supra defendendam proponimus, non modo latinam Ecclesiam, sed graecam etiam consentire, uti ea demonstrant, quae dissertatione II. de libris Ecclesiasticis prodidit Allatius. Et sane in Concilio Florentino etsi de igne purgatorio non idem graeci senserint cum latinis; de inferno tamen igne nulla inter eos quaestio exaudita est: nempe aliam hujus atque illius indolem graeci censebant esse. Fugit fortassis haec observatio illustres illos Theologos: quae nisi fugisset, nullum, credo, praesidium opinioni suae constitutum in ea Synodo judicassent. Iis certe concedam, nullo Ecclesiae decreto publico veritatem illam hactenus consignatam esse. Ast quum Scripturis sanctis, atque universae Patrum traditioni insigniter accepta eadem referatur: nec Patres desint, qui, ceteris non renitentibus, in fidei dogmatibus eam numerent; veritas, inquam, fide tanta communita ad fidem ut pertineat, necessario Ecclesiae definitio requiretur? Aliorum judicium sit. Ego unum libere affirmabo: corporeum esse inferorum

ignem, nisi fide tenendum sit: tenendum autem nec pauci, nec non graves Theologi post illos Patres volunt; non posse saltem sine insigni temeritatis nota denegari. Porro Majores nostri, quorum nobis sub disciplina vivendum est, quam vim inesse judicaverint Ecclesiae auctoritati non definientis solum, sed proponentis, ac docentis: et fidelium in re doctrinae consensionem etiam sine Concilio Oecumenico, ac sine Sedis Apostolicae definitione quanti faciendam docuerint et scimus, et qui nesciunt, facile ex Augustino discent ep. LIV. al. CXVIII. ad Januar. cap. I., et libro contra Epistolam Manichaei capite v. numero VI. ut mittam alia loca bene multa.

(VIII) Annon Deus nonnullo saltem temporis intervallo miserorum poenas interdum minuat? Dictum et hoc aliquibus non modo Heterodoxis, verum etiam Catholicis, quos tamen severiores fuisse vellem. Namque apud Ecclesiam exploratum est, nihil unquam de summo damnatorum supplicio fore remittendum. Id quum heic reputo, non injucundam operam me facturum arbitror, si antiquam Missam exhibuero e rituali codice bibliothecae nostrae S. Salvatoris; (quae aliàs est etiam edita), quanti ea valere debeat, deinde dicturus. Venetus codex est, vel Torcellanus (ut verius puto, atque ostendam in conspicuo poenitentiali Ordine ex eodem descripto, quem illustratum propediem, Deo dante, vulgabo): pertinet autem ad XI. Ecclesiae saeculum.
„ Sic illa: „ Missa pro cujus anima dubitatur. *Oratio*. Omnipotentem, ac misericordem Deum, fratres chariſſimi, qui
„ habet potestatem mortificare, et vivificare, deducere ad infe-
„ ros, et reducere, et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea,
„ quae sunt, cujus potestas in coelo, et in terra, in mari, et
„ in inferis pleniter adstat, humiliter deprecamur pro anima fa-
„ muli sui *ill.*, quem subito evocavit a praesenti saeculo absque
„ poenitentiae spatio, et si forsitan ob gravitatem criminum non
„ meretur surgere ad gloriam, per haec sacrosancta oblationis li-
„ bamina tolerabilia fiant ipsa tormenta. Praestante &c.„ *Secr.* Su-
„ scipe Domine, clementissime Pater, pro commemoratione fa-
„ muli tui *ill.* hostiam placationis et laudis, ut sacrificii praesen-
„ tis oblatio ad refrigerium animae ejus, te miserante, perve-
„ niat. „ *Postcommunio*. Miserator, et misericors, et pa-
„ tiens et multum misericors Domine, si iniquitatem observa-
„ veris, qui sustinebit? Precamur ergo universam clementiam
„ tuam pro anima famuli tui *ill.*, ut cui parva fiducia suppetit actio-
„ num, sola gratia tua copiose resplendeat, ut vel veniam ope-
„ ra manuum tuarum sentiat in inferis, quam ad imaginem
„ tuam creare dignatus es. &c. „ Vidit hujusmodi Missam Leibnitius, atque ad invidiam Romanae Ecclesiae creandam in

Theodicea commemoravit (pag. 330. optimae editionis Genevensis), non tamen edidit. Verum ex ea sententiae, quae Ecclesiae insedit, nihil detrahitur. Ac de similibus pene Missis datum ab nonnullis hoc judicium scio: explicandas eas esse de animabus, quae purgatorio carcere detinentur. Sed vereor, ne quibusdam parum haec responsio in re nostra probetur. Ergo sic statuo: privatam hanc Missam esse, neque Ecclesiae assensione munitam; cujus quae mens exstiterit, institutumque, juverit quum ex aliis Patribus recognoscere, tum maxime ex Augustino lib. XXI. de civitate Dei cap. x., et cap. xxiv., quae loca plane illustria eo libentius indigitantur a me, quo intellectum uno tempore sit, per injuriam nonneminem de eo scripsisse, perindeac memoratam poenarum minutionem non repudiaverit. Jam vero, etsi incolumem volo Ecclesiae fidem, non propterea tamen ritualem nostrum codicem adspernor: qui, quanti faciendus sit, in Ordinis editione patefaciam. Itaque animadverti cupio: per anteacta saecula invaluisse apud nonnullos opinionem levamen aliquod damnatis tribuentem. Scilicet nedum Goteschalchus IX. saeculi scriptor reprobos volebat postulare a Deo poenarum suarum lenitatem, uti Leibnitius ipse notavit; sed et Prudentius saeculo V. in Hymno de novo lumine Paschalis sabbati sic cecinerat: „ Sunt et spiri„ tibus soepe nocentibus Poenarum celebres sub styge feriae „, et his, quae sequuntur, affinia. Consulatur in hunc locum magnae eruditionis vir Faustus Arevalus in Prudentianis cap. xviii. tom. I. Prudentii carminum Romae edit. ann. 1788. Praeterea in eamdem sententiam ivisse Ildephonsus visus est, seu quisquis auctor sermonis V. de Assumptione, ejus nomine inscripti. In eamdem S. Odilo, qui in sermone item de Assumptione paria, quae Isidorus, scripsit. Senserunt id etiam alii, quos nominat Sixtus Senensis Bibliothecae sanctae lib. VI. cap. xlvii. Horum etiam meminit S. Thomas, e quibus nonnulli circa XI. Ecclesiae saeculum floruere. Vid. Angelicus in IV. Sent. art. 2. q. 2. in corpore. Ergo quamquam haec opinio a communi Catholicorum sensu hoc tempore aliena sit, ut Petavius ipse concedit; imo et anteacto majorum gentium Patribus, atque Theologis fuerit improbata (quidquid contra nonnemo dicat); dissimulare tamen non possumus, fuisse eamdem apud nonnullos pios probabilesque scriptores, mollis cujusdam humanique sensus ductu, pervagatam; toleratam et ipsam ab Ecclesia. Itaque apposite ajebat Augustinus Enchiridii cap. cxii. „ Poenas damnatorum cer„ tis temporum intervallis, existiment, si hoc eis placet, ali„ quatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira „ Dei, hoc est ipsa damnatio „. Ergo in qua opinione veteres illi pietatis viri fuerunt, in eam nostrae Missae Auctores

videntur prolapsi ; sed neque nostrae tantum : illius etiam, cujus meminit Lamius e MS. Bibliothecae Richardianae codice saeculi item XI., tom. XII. deliciarum Eruditor. pag. 311.; namque ejus Missae eaedem fere voces sunt, quae nostrae : sensus certe idem.

(VIIII) Animadvertit Vir cl., post solutam Babilonicam captivitatem, et aliquot ante Christum saeculis omne tribuum desiisse discrimen, nec ultra ex:gr: *terram Zabulon*, *terram Nephtali*&c. fuisse appellatam, excepta tribu Juda, quae Jerosolimis, et in Judaea sedes pristinas, nomenque retinuit. Imo, ait, tribus eadem ita ab aliis observabatur, ut gens tota in Judaeum nomen tandem concesserit : quasi Juda tribus omnes veluti absorbens alias complecteretur, aut istae in eamdem cum Juda familiam concorporatae essent, aut arrogatae. Ac sicuti jure Romano sive adoptio, sive arrogatio generationem per omnia imitabatur, transeuntibus arrogatis in arrogantium patriam potestatem, in nomina, in tribum, in sacra, et in ipsum jus ad regnum ; sic ubi reliquiae decem tribuum ab Juda in domum unam recollectae fuere, ex iis prognati, non ut hospites, et amici, sed quasi ὁμόφυλοι *tribules* in posterum habiti sunt. Hinc Assamonaei, qui diu remp. rexerant, non ut Levitae, sed ut veri Judaei censebantur, et quasi *tribules* illius principis, quae quamvis per Levi arrogatum a se cum aliis, regnare semper ipsa putabatur. Hinc vers. VIII. Jacobaei vaticinii: *Juda te laudabunt fratres tui*, ita vertit Targum Jonatanis ben-Uziel, et Jerosolimitanum: *Juda te laudabunt fratres tui, et vocabuntur omnes Judaei de nomine tuo*. Putarunt ergo hi paraphrastae, illud *Laudabunt te fratres tui* tantumdem esse, quod *Vocabuntur de nomine tuo Judaei*, non quasi fratres, sed quasi de sua tribu descendentes. Sicut ergo in aliis tribubus post nomen cujusvis Israelitae addebatur v: g: *Rubeni*, idest *Rubenita*, ita ante Christi adventum post proprium cujusque nomen subjicietur *Jeudi*, idest *Judaeus*, tamquam prosapiae nomen, ac veluti ex vi arrogationis et sacra, et tribum ipsam adoptantis consecutus, sicut in adoptatis, et arrogatis fiebat. Quocirca cum Assamonaei proprie ad Judae tribum pertinerent ; hinc, quamdiu hi regnarunt, non est ablatum de Juda sceptrum. Tum vero ablatum est, cum dominatus ad Romanos transiit : quando et Judaei fassi sunt, se non habere Regem, nisi Caesarem. Quamquam vero haec pulchre atque apposite ab Auctore videantur explicata ; praetereundum tamen non est ; nodum nobis objici in iis vocibus *et Dux de femore ejus*, quae videntur nihil aliud esse, nisi honesta organorum, quae generationi inserviunt circumlocutio. Audiatur ergo non involuta, sed nitida et multo expeditissima hujus nodi explicatio ab ipso Mazochio data. No-

tat ille a *regel pes* oriri *ragli peditem*, quae vox exstat cap. XII. Exod. 37. . Istud vero *raglau*, quod in hac prophetia occurrit, duale vulgô censeri, ut *mibbenraglau* sit: *De inter pedes ejus*; sed *raglau* hujus loci non a duali *raglaim*, sed a plurali *raglim*, idest *pedites* profectum putat, ut sensus sit: *Non recedet sceptrum de Juda, nec Legislator de peditibus ejus, donec* &c., ubi *peditem* idem esse ac popularem demonstrat, quia ab antiquissimis temporibus mares quilibet ad patriae defensionem sese prognatos reputabant, et a prima aetate militiae nomen dabant, unde *peditis*, *civisque* vocabula synonyma habebantur. Nam sicut Romae ex censu Ser. Tullii cives quilibet, utpote ad militiam nati, in aliqua classium a Servio institutarum fuere censiti; hoc idem in populo Hebraeorum factum est, ut patet ex citato loco Exod. XII. 37., ubi sexcenta millia peditum numerantur, qui in terram Chanaan militari forma processere; licet non plures numero essent Israelitae omnes ex Ægypto prodeuntes.

(X) Judaeis, quod incredibile videtur dictu! non ita pridem accessit Johannes Laurentius Isenbiehls Sacerdos Moguntinus, et Scripturae sacrae Professor. Is anno 1778. librum edidit germanico idiomate inscriptum: = Novum tentamen in prophetiam de Emmanuele =, quo contendebat, Isaiae oraculum de divino Emmanuelis ortu non ad Virgineum Deiparae partum, non ad verum Emmanuelem Christum Dominum ullo sive litterali, sive typico sensu pertinere. Ut liber furtivis typis vulgatus est, horruere Catholici, in primisque inclytae Germanicae Nationis Episcopi commoti sunt. Liber proscriptus. Auctor docendi gradu dejectus, suspensus a sacris, carceri primo mancipatus, deinde in Orbacense monasterium relegatus est. Extingui tamen flamma nondum potuit. Quamobrem ventum est, more majorum, ad Apostolicam Sedem, ejusque judicium imploratum. Litterae ab ea datae sunt die 20. Septembris an. 1779., quibus damnatus est liber atque prohibitus, nequid ex eo Christiana respublica detrimenti caperet. Sic finita causâ, erroris ipse auctor de errore decessit. Illi vehementer gratulamur. Sed hinc discant contradictores nostri (peregrinos ne a fide compellabo, an domesticos, quibuscum nobis pro orthodoxia per haec tempora pugnandum est?) ab suis erroribus, quibus tantopere solicitatur Ecclesia atque angitur, resipiscere.

(XI) Etsi nunc temporis fere omnes, si Heterodoxos excipias Honorium probent, fuisse erroris prorsus immunem; non unam tamen omnes insistunt viam. Nam plures liberant ab errore illum: negligentiae tamen condemnant. Contra non pauci, nihil eum peccasse defendunt. Sunt in his Albertus Pighius lib. IV. hierarchiae Ecclesiasticae cap. VIII.; Robertus Bellarminus de R.

Pontifice lib. IV. cap. xi., Caesar Baronius ad an. 633.; Franciscus. Marchesius in Clypeo fortium; Daniel Papebrochius in Conatu chronico-historico part. I. dissert. xv. Favet etiam satis aperte Petavius lib. I. de Incarn. cap. xxi., eodemque demum recidit Christianus Lupus in dissert. de VI. Synodo cap. iv., et Joh. Lauren. Bertius in lib. XXVI. de Theol. disciplinis cap. II.; et ne omnes recenseam, Joh. Baptista Bartholus Episcopus Feltriensis in Apolog. pro Honorio I., ed. Ausugii 1750., et Petrus Ughus in suo de Honorio libro Bonon. vulgato an. 1784.: qui duo viri docti eam faciem Honorianae defensioni dederunt, ut fere nova videri possit, maxime uti est ab altero affabre, solideque elaborata. Horum studia vehementer probamus: damusque operam, ut eamdem defensionem bono in lumine collocemus; in quo quum multa demonstranda nobis ipsi proponimus, tum illud in primis: Romanam Ecclesiam nunquam latae *ab Orientalibus* (sic Episcopos VI. Synodi appellabat Hadrianus II.) in Honorium sententiae subscripsisse. Hanc vero defensionis partem nobiliorem certe; difficiliorem tamen, ut ingenue fatendum est, multo argumentorum instructu contuemur; e quibus placet unum afferre, quod domesticum est. Nempe in nostra D. Agnetis Basilica, ad viam Nomentanam posita, exstat adhuc *absida* ab Honorio I. constructa (ut liber Pontificalis memoriae prodidit) et *musivis* ornata, quae Martyrem sanctissimam mediam exhibet inter ipsum Honorium ad dexteram; Symmachum ad laevam (ut harum rerum periti censent). Habet praeterea in ora inferiore duodecim carmina, in quis tria haec minime praetereunda:

PRAESVL HONORIVS HAEC VOTA DICATA DEDIT
VESTIBVS ET FACTIS SIGNANTVR ILLIVS ORA
EXCITAT ASPECTV LVCIDA CORDA GERENS

Hinc enim jure colliges, Honorii damnationi nunquam Romae esse subscriptum. Perpetuo quippe mos in Ecclesia viguit, eorum, qui *anathemate* ferirentur, imaginem, praeconium, nomenque sacris praesertim aedibus dispungendi. Atque idcirco VI. Synodi Patres, uti liber Pontificalis in Agathone refert „ abstulerunt e diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel „ de picturis Ecclesiae figuras eorum, aut de foribus, ubi esse „ poterant; idest Macarii, Cyri, Sergii, Pyrrhi, etc. „: quin et Honorii, utpote a se damnati, nomen, imaginemque dispulerunt, quae postea Bardanes restitui jussit. Quare si Honorii damnationi Romana Ecclesia subscripsisset, absidam illam minime tolerasset; toleravit tamen, imo diligentia quanta potuit conservavit; notat enim Joh. Ciampinius part. II. Vet. moni-

mentor. cap. xiv. „ amborum Pontificum vultus pictura fuisse „ suppletos, quia musivum deciderat „.

(XII) Mirifice facit in hanc propositionem, imo in universam de Christi gratia, et eam, quae de Deo Incarnato est, tractationem Epistola hactenus *inedita* Francisci Petrarchae, quam subjicio. Una ea est ex ducentis fere numero ineditis mihi a cl. Mingarellio traditis (quem praeceptorem quondam meum amantissimum grati animi, atque honoris causa nomino); ut quum per otium liceret, de iis illustrandis, edendisque cogitarem. En illam:

„ Ad Amicum in fide Catholica haesitantem. Epist. iv. „ lib. XVI. Familiarium.

„ Mitto alia, de quibus colloqui dabitur, ut spero: unum „ periculum majoris (*sic*), et quod moram respuit, scribam. „ Suspiciones tuas de summa salutis aegre fero: quod saepe „ tibi praesens dixi: sed ut video, non tam saepe, quam de- „ bui, et quam duro pectori necessarium erat, ut frangeretur. „ Quid vero nunc aliud rear inter ambages rerum, et fallacias „ diaboli animum cogitantis involvere, nisi id quod negari non „ potest, non esse dignum genus humanum, cui haec coelitus „ fierent, quae facta credidimus? eo quod hic fur, ille perju- „ rus, ille sit adulter, et talibus plena sit omnis terra, quales „ induxisse legimus Creatorem, ut diceret: poenitet me fecisse „ hominem. Quomodo ergo talia tantus tam indignis? Haec „ fortasse nunc tecum dicis. Animadvertere autem oportet, non „ haec ad incredulitatem, sed ad humilitatem, et gratitudinem „ debere conferre. Pauci beneficiis Dei digni: fateor: imo nul- „ lus omnino, nisi quem ille dignum fecerit. Tanto major illa „ benignitas, liberalitas clarior, insigniorque clementia. Illud „ forte etiam tuas suspiciones exaggerat, quod ante Christi ad- „ ventum tot vel ingenio, vel moralibus virtutibus excellentes „ viros fuisse, nemo dubitat: nobis autem hodie funditus vir- „ tutes, et ingenium deesse, ut minus evidens foret. Nutat hinc „ animus, et quod cur fieret, non videt, factum esse non cre- „ dit. Sed et hoc eodem spectat, et tale est, quod devotionem „ augere, atque dilectionem, non incredulitatem parere debuis- „ set: ut quo indigniores nos agnoscimus, eo majorem illius „ erga nos munificentiam agnoscamus, et miremur. Sed non „ usque adeo miremur, ut negemus: quis enim nisi pessimus „ a domino suo valde sine meritis honestatus, aut domino re- „ bellat, aut accepti beneficii obliviscitur, et non potius dicit: „ gratis me amasti, indignum melioribus praetulisti: habeo „ gratiam: agnosco pium dominum: agnosco fortunam opti- „ mam, quam tu mihi fecisti: virtuosorum proemia sine virtu- „ te percipio: felix ultro factus sum: hoc ipsum non meo la-

„ bore, sed tua benevolentia quaesitum non mihi, non alteri, „ sed tibi uni debeo. Quid autem in omni doctrina, quae de „ Christo traditur ab his, qui veritatem ipsam, qui Christus „ est, diligunt: quid, inquam, vel impossibile Deo est, no- „ bis incredibile, nisi quod tanta Dei humilitas, tanta mise- „ ricordia, et erga hominem pietas ostenditur, ut eam vix ca- „ pere possit mens humana: et per omnia verum est quod ait „ Augustinus in Psalm. cxlvii., quoniam etiamsi certa sunt, „ quae multum laeta sunt, vix creduntur. Habes ergo mortalis „ homuncio, unde incredulitate deposita gratiarum suscipias „ actionem: felicior factus es, quam credere potuisses. Crede, „ quod factum est: ipsa Dei sapientia, unicus, consubstantia- „ lis, et coaeternus Patri Filius ad te liberandum venit. Pote- „ rat et de majestatis suae solio jubere, et necesse erat pareri in „ coelo, et terra. Efficacius agere voluit, et humilius: totum „ hominem suscipere dignatus est, ut ait Augustinus. Et Ver- „ bum caro factum est, et habitavit in nobis. Et sequitur ra- „ tio. Ita enim, inquit, demonstravit carnalibus, et non va- „ lentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus de- „ ditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana „ natura: quod non solum visibiliter: nam id poterat et in ali- „ quo aethereo corpore ad nostri aspectus tolerantiam temperato; „ sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Cujus quoque „ dicti ratio subsequitur: ipsa enim, ait, natura suscipienda „ erat, quae liberanda. Hactenus Augustinus. Sic ergo, amice, „ cum te periclitantem Deus cerneret, perire non est passus, „ cumque prostratum verbo posset, maluit manu attollere: et, „ qui ardenter amantium mos est, sese in terram inclinavit, ubi „ tu jacebas, atque ulnis amplexus substulit, in quo gravissime „ premebaris, pondus subiit, transtulitque peccatum tuum. Im- „ pletum est illud Davidicum: quantum distat ortus ab occi- „ dente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Poterat, ut di- „ xi, verbo facere: sanguine suo fecit, et ut ait quidam, hoc te- „ cum est percussum sanguine foedus. Noli tu illud frangere: „ ipse enim servantissimus promissorum est. Si potuisse illum „ te liberare certus es, voluisse quid dubitas? quid credere haesi- „ tas, quod et necessarium tibi est, et facile largienti, et „ sua dignissimum majestate? quid times, quod valde deside- „ ras, in animum admittere? nisi quia, ut dixi, et ma- „ gnum gaudium mens angusta non recipit, et te tanto „ munere sentis indignum? Gaude jam toto animo: habes unde: „ tantaque gaudendi materia est, ut eam vix apprehendas. Hinc „ nempe magis consolari, non minus credere convenit: tu in- „ dignus, ille benignus: tu peccator, ille misericors. Agnosce

„ beneficium, amplectere gratiam, pelle suspiciones: *longo si-*
„ ne fine supplicio dignus eras: gloria tibi, nisi renuis, aeter-
„ na proponitur: severum judicem metuebas, pium patrem in-
„ venisti. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Do-
„ minus timentibus se: non quia id nostra peccata mererentur,
„ sed quia ipse cognovit figmentum nostrum, et recordatus est,
„ quoniam pulvis sumus. Non ergo tam peccatis nostris irasci-
„ tur, quam fragilitati compatitur: et indigentibus opem fert.
„ Tanta res est, ut non facile credenda videatur: pro malo bo-
„ num, pro offensa gratiam referri, ab eo praesertim, quem of-
„ fendisse tam indignum sit, et qui se tam facile possit ulcisci:
„ credenda tamen haud dubie est, et agnoscenda misericordia
„ Redemptoris: quoniam, ut in eo libro, quem profundissime de
„ vera religione fundatum edidit, pater ait Augustinus: Non
„ jam illa hominis sacrosancta susceptio, et Virginis partus,
„ et mors filii Dei pro nobis, et resurrectio a mortuis,
„ et in coelum ascensio, et consessus ad dexteram Patris, et pec-
„ catorum abolitio, et judicii dies, et corporum resuscitatio,
„ cognita aeternitate Trinitatis, et mutabilitate creaturae cre-
„ duntur tantum, et non etiam judicantur ad summi Dei mise-
„ ricordiam, quam generi humano exhibet, pertinere. Pro qui-
„ bus omnibus, amice, admiratio nobis ingens, fateor, stupor-
„ que salubris, et pavor devotus amplectendus atque tenendus:
„ quoniam vere mirabilis in altis Dominus, vere magnus et
„ terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt, vere terri-
„ bilis in consiliis super filios hominum, idem tamen suavis,
„ et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibos eum:
„ idem miserator et misericors Dominus, longanimis et multum
„ misericors, et patiens et multae misericordiae, et verax: idem
„ dulcis et rectus Dominus, et qui legem dat delinquentibus, in
„ via: hanc legem scilicet, ut ad eum redeant, et salventur.
„ Quid multa? profecto ut nemo terribilior, sic nemo miseri-
„ cordior, nemo tranquillior: multos laborare cogit, ne lasci-
„ viant: periclitari aliquos sinit, ut corrigat: neminem vult pe-
„ rire, atque omnia facit, ne pereamus. Itaque pellenda procul
„ desperatio, abjicienda durities, exuenda impietas, increduli-
„ tas relinquenda: quod enim nemo sanus ignorat, nihil impos-
„ sibile, imo nec difficile aliquid est Deo: quod nemo pius diffi-
„ dit, nihil illi arduum videtur, quod ad salutem suae pertineat
„ creaturae: perversi ingenii est suspicari aliud; et misereri, ac
„ peccata diluere vel nolle Deum, vel non posse: hinc enim,
„ non de fonte alio desperatio nasci solet: quorum altero bonus,
„ altero negatur omnipotens: utraque blasphemia est in Spiri-
„ tum S., quae neque in hoc, neque in futuro saeculo dimittitur:

„ dum summe potenti, summeque bono vel impotentia ulla, vel „ invidia nostrae salutis objicitur. In quod malum incidisse cre„ ditur Cain, ubi ait: major est iniquitas mea, quam ut veniam „ merear: neque enim major esse poterat creaturae miseria, „ quam misericordia creatoris. In hoc ipsum Judas infelix inci„ dit, quando,projectis argenteis in templo, abiens laqueo se sus„ pendit: qui etsi multo amplius peccasset, quam Cain, de„ speratio tamen illi et solum obstitit, ne misericordiam inve„ niret, quam si a Christo petiisset, invenisset, ut Ambrosio „ placet: nunc neque misericordiam petiit,et apud illos se peccas„ se confessus est, qui de peccato ejus gaudebant, de supplicio „ non curabant. Postremo magis, ut Hieronymo videtur, despe„ ratione Christum laesit, quam proditione. Memorandum val„ de! Quid ergo? Potest Deus omne, quod vult: vult autem „ omne, quod nobis salutiferum novit: hoc firma fide constan„ tique fiducia tenendum est. Cessent inanes et pavidae conje„ cturae, et religiosae aures susurris doemonum obstruantur. „ Magnum fuerit propter nos Deum suo quodam mirabili more „ nasci: majus inter necessitates miseriasque nostras vivere: „ maximum plus quam nostro communi, suo quodam ad nos „ misericordi, in se autem miserabili more mori. Mira haec „ et ineffabilia quaedam divini amoris signa: quis neget? Sed an „ ideo nos ingratos faciet beneficii magnitudo? Absit a menti„ bus piis hic furor. Sentiamus nos beneficiis tantis indignos, „ et nos ad persolvendas meritas grates verbo etiam longe impa„ res agnoscamus: victam fragilitatem nostram immensa Dei cle„ mentia fateamur: animo tamen, quantum possumus, grati si„ mus, et obsequentes, et creduli, et fideles: neque quia res „ magna, nos indigni, ideo nobis illum consulere nequivisse aut „ noluisse propter inaccessibilem suae potentiae ac pietatis excel„ lentiam desperemus. Vale IIII. Kal. Aprilis.

Habebitur publica disputatio in Basilica S. Petri ad Vincula Anno 1791. Mense Die Hora
Praeerit disputationi Dom. Vincentius Garofali Romanus S. T. P., et Congreg. SS. Salvatoris Canonicus.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici
F. X. Archiep. Lariſs., ac Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BIBLIOTECA VAT...